

Discere I  
cum fonte primo

Tria sunt, ut ait Alexander,  
que impediunt hominem apprehendere ueritatem rei,  
scilicet amor altitudinis,

subtilitas ac profunditas rei inuestigande,

et ignorantia inquisitoris  
siue breuitas potencie sue in apprehendendo.

In nostro autem tempore est causa quarta  
quam non numerauit Alexander  
quia non erat in tempore suo,  
et hec est societas et nutritura  
quoniam in natura hominis est amor sequendi illum  
cum quo habet societatem  
et diligere ea in quibus nutritus est.  
Adeo quod uidebis habitatores uillarum,  
licet sint ibi in sordibus  
et in defectu delectationum et in malicia ciborum  
ut odiant habitationem ciuitatum  
nec delectantur in deliciis earum  
et eligunt potius ea in quibus nutriti sunt  
quam in ea in quibus non sunt, licet sint meliora.

Simile contingit homini in scientiis et opinionibus  
in quibus nutritus est ab infancia sua  
quoniam diligit illas et confirmat rationes ipsarum  
et anxiatur in contrariis.  
Et ideo propter istam causam deficit  
intellectus hominis in apprehensione ueritatis,  
et sequitur ea in quibus nutritus est,  
et tunc renouabitur in eo dominatio cogitationum  
similium et sequela defectuum et malicia morum.

Hoc autem accidit propter societatem et nutrituram  
cum illis quorum opinio confirmatur in eo.

Rabi Moyses libro I. capitulo XXX.

Dixit Alexander. tria sunt  
quae impediunt apprehendere ueritatem rei:  
sicut est amor multitudinis seu magnitudinis  
et strenuitatis. Secundum est  
subtilitas et profunditas rei inuestigande.  
Tertium est  
ignorantia inquisitoris,  
et breuitas potencie eius in apprehendendo  
quod sibi conuenit ut apprehendat.  
In nostro autem est tempore quarta causa  
quam non numerauit Alexander:  
quia non erat in tempore suo:  
hoc est societas et nutritura:  
quoniam in natura hominis est amor sequendi illum  
cum quo habet societatem:  
et diligere ea in quibus nutritus est:  
adeo quod uidebis habitatores uillarum,  
licet sint in illis in sordibus  
et in defectu delectationum, et in malitia ciborum:  
ut odiant habitationem ciuitatum:  
nec delectentur in delitiis earum:  
et eligunt potius in quibus nutriti sunt  
quam ea in quibus non sunt nutriti: licet sint meliora.  
nec placet animae ipsorum morari in curiis deliciarum:  
nec uti pannis preciosis: nec delectari in balneis,  
nec unguentis et odoribus bonis.  
Simile contingit homini in scientiis et opinionibus:  
in quibus nutritus est ab infancia:  
quoniam diligit illas et confirmat rationes ipsarum:  
et anxiatur in contrariis.  
et propter istam rationem deficit  
intellectus hominis in apprehensione ueritatis.  
et sequitur, Ea in quibus nutritus est:  
sicut contingit genti in corporeitate:  
et multis modis spiritualibus sicut postea explanabimus.  
Et  
hoc accidit propter societatem et nutrituram  
cum eis: quorum opinio firmatur in illis:  
et inducunt plana sua super corporeitate  
et super cogitationibus uanis et infirmis.

Maimonides, *Dux neutrorum*, 1.30 (A. Giustiniani ed.,  
Paris, 1520, fol.11v).